



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

L. De restricta prohibitionē matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

prosequatur: quam si prosequi non curauerit, ex-  
tunc ipse iudex, non obstante appellatione, proce-  
dat. Nullo autem aduersario comparente, cum ex  
suo iudex procedat officio, appellationis causa co-  
ram superiore probata, superior suæ iurisdictionis  
officium exequat. Sed si appellans in eius proba-  
tione defecerit, ad eum, a quo ipsum malitiose ap-  
pellasse constiterit, remittatur.

Ceterum has duas constitutiones præmissas no-  
lumus ad regulares extendi, qui suas habent obser-  
uantias speciales.

## XLIX.

Sub interminatione diuini iudicii penitus inter-  
dicimus, vt causa cupiditatis nullus audeat excom-  
municationis vinculo aliquem innodare, vel absol-  
uere innodatum, in illis maxime regionibus, in qui-  
bus ex consuetudine, cum excommunicatus absol-  
uitur, pecuniaria pœna mulctatur: statuentes vt  
cum excommunicationis sententiam iniustam fuisse  
constiterit, excommunicator ad restituendam  
pecuniam sic extortam per censuram ecclesiasti-  
cam compellatur: &, nisi probabili fuerit errore  
deceptus, tantumdem iniuriam passo persoluat: &  
si forte soluendo non fuerit, animaduersione alia  
castigetur.

## L.

Non debet reprehensibile iudicari, si secundum  
varietatem temporum statuta quandoque varien-  
tur humana, præsertim cum vrgens necessitas vel  
euidens vtilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex  
iis, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla  
mutauit in nouo.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

Cum igitur prohibitiones de coniugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, vt cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii reuocantes, presentis constitutione decernimus, vt sic contrahentes de cetero libere copulentur.

Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in vltioribus gradibus iam non potest absque graui dispendio huiusmodi prohibitio generaliter obseruari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni coniugii corporalis, de quo dicit Apostolus, quod vir non ha- 1. Cor. 7. bet potestatem sui corporis, sed mulier: neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis.

Cum ergo iam vsque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, eam ita esse volumus perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis vel a nobis, vt si qui contra prohibitionem huiusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum, cum diurnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat: tantoque grauiora sint crimina, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.

Concil. Tom. 28.

Cc ij